



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Mos accumbendi sero ad Hebræos pervenit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

Numinis præceptum, quo voluit Israelitas Pascha comesuros esse calceatos, ut hac in re Paschale convivium etiam à reliquis differret, ne calceos deponerent, quod alias pransuri aut cænaturi solebant.

IV. Mihi tamen hæc non videtur hujus præcepti ratio. Posterioribus seculis apud Judæos hunc morem fuisse, ut mensæ accumberent, & calceos deponerent ne lectulos inquinarent, constat satis. Sed an mos ille tam antiquis temporibus fuerit in usu, non tantum dubitamus, sed è contra asserimus, apud Judæos eum nondum viguisse, cum hoc præceptum traderet Deus. Prisci mortales, sicut in herba jacentes cibum sumpserunt, quo pertinere videtur, quod

Gen. 18.4. Abrahamus tres viros, qui circa meridiem venerant, sub arbore reclinare jubet, ut sub umbra in gramine jacentes caperent cibum, ita etiam sederunt. Quem quidem morem jam ab Isaaci ævo obtinuisse, ut veteres Hebræi non in lectulis accubuerint, sed ad mensam sederint, sacra monumenta abunde

abunde ostendunt, quæ semper commemorant eos sedisse, nunquam vero accubuisse. Docuit hoc præclare seculi nostri grande decus Samuel Bochartus, ac tot collegit ex S. Codice testimonia, ut plane sit certum veteres Hebræos ad mensam sedisse. Eodem modo uti apud Homerum, *Καθίζονται ἐν τοῖς συνδείοις οἱ Ἥρωες, ἔκκατεκλίονται*, *sedebant in conviviis Heroes non accumbebant*, uti Athenæus docet: Qui eundem morem apud Macedones Alexandri & Cassandri ævo nondum plane exolevisse ex Duro & Hegesandro probat: quod etiam de Germanis Tacitus, & de Hispanis & Gallis veteribus tradidit Strabo. Moris accumbendi apud Hebræos primam mentionem magnus Casaubonus apud Amosum observavit. Et sane ante ea tempora non videtur usitatus. Exemplum vetustius apud Authorem Cantici inveniri, conjecit quidem vir illustris Hugo Grotius, ubi *וְהָיוּ כְּהַתְּכַלִּימוֹת* vertunt Græci. Sed ipse id dubitanter asserit, & res se aliter habere videtur. Quare etiam optime monuit vir illustris accubi-

Bochart  
Hier. P. 1.  
pag. 598.

Athen.  
l. 1, c. 14.

Casaub.  
Exer c.  
AntiBar.  
16 cap. 22.  
Amos 2, 8.

Cant. 1, 12.  
Grot. ad  
Matth. 26.  
20.

accubitum in lectis haud dubiè ferius cæpisse, Assyriorum, ut credibile est, exemplo, qui postea Græcorum ac postremo Romanorum consuetudine increbuerit. Unde, cum primo mori, quo in herba jacentes cibum capiebant, proximus, aut non minus antiquus, fuerit mos sedendi, & Hebræi veteres more posterioris ævi in lectulis nondum accumberent, causa non fuit, cur ad mensam accedentes, calceos exuerent, neque dici potest ex recepta ea consuetudine hoc à Deo prohibitum, quasi voluerit Paschale convivium etiam hac in parte à reliquis differre.

Bochart.  
Hier. P. I.  
pag. 599.

V. Samuel Bochartus, qui Hebræorum ac reliquarum gentium literis instructissimus, opus de Animalibus perfecit, quo non tantum omnium, qui ea in re aliquid conati sunt, industriam vicit, sed longo intervallo post se reliquit, aliam coniecit esse hujus mandati rationem. Hoc unum quod respondeat ad propositam quæstionem, cur Israelitas calceatos esse voluerit Deus dum Pascha comederent